

3<sup>o</sup> Intentio autem habitualis non sufficit, neque a fortiori intentio interpretativa. *V. Comp. n. 203.*

160. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> LUCILLUS valide consecravit tres Hostias in corporali appositas et repertas, easque laicis præbere debuisset. Ratio est, quia ejus intentio illas consecrandi fuit vere *virtualis*, cum ad istas Hostias, ab ædituo monitus, ab initio Missæ adverterit. Prior enim intentio eas consecrandi, non obstante oblivione tempore consecrationis habita, virtualiter perseveravit. *Elbel, n. 14.*

2<sup>o</sup> Hostia quarta probabilius non est consecrata. Ratio est, quia reperta est extra corporale. Sacerdos autem censi non potest velle consecrare extra corporale, cum id lege gravi Ecclesiæ prohibeatur; non censetur enim velle violare legem sub peccato mortali obligantem: habenda est igitur hæc Hostia tanquam non consecrata. Attamen non est deponenda cum aliis Hostiis non consecratis, quia Theologi graves contendunt illam esse consecratam. Adde quod forte conjuncta erat cum aliis, non solum in Missæ principio, sed etiam tempore consecrationis, et aliquo casu, v. g. per manipulum Sacerdotis, extra corporale dejecta est.

161. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* LUCILLUS male fecit, hanc Hostiam statim post majorem Hostiam sumendo; quia hoc est contra Rubricas, ubi statuitur, ut, si quid consumendum sit, id post SS. Sanguinis sumpcionem fiat. Insuper, cum hæc Hostia probabilius non sit consecrata, Sacerdos, eam sumendo ante absorptionem SS. Sanguinis, jejunium naturale frangit.

### CASUS IX.

#### INTENTIO MINISTRI 2<sup>o</sup>.

MEDERICUS, Sacerdos, confessiones excepturus, intentionem habet hac vice non absolvendi MARCUM consuetudinarium, licet videatur satis dispositus, ad ejus constantiam magis probandam. Accedens vero MARCUS in media turba, a Confessario non agnoscitur, idcirco ab eo absolvitur. Confessarius ad errorem statim advertens, hæret dubius et anceps; nescit enim an absolutionem iterare debeat, vel pœnitentem a Communionem impedire; tandem ad absolutionem denuo impertiendam se resolvit.

Alias, idem MEDERICUS statuerat PAULUM non hac vice absolvere, ut dignius ad Sacramentum se disponeret, et id pœnitenti jam significaverat, cum subito ex animi distractione verba absolutionis protulit.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> An MEDERICUS valide MARCUM absolverit; et an recte egerit absolutionem iterando?

2<sup>o</sup> An valida fuerit absolutio PAULO impertita?

SOLUTIO :

162. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* MEDERICUS præsumendus est valide absolvisse. Etenim valide absolvit, si prior ejus intentio non absolvendi non fuit absoluta, ita ut potuerit implicite retractari per intentionem absolvendi pœnitentem præsentem. Atqui ita est; nam, sibi proponendo MARCUM non

absolvere, id statuebat, non præcise ob MARCI indignitatem, sed ut ille postea magis ad beneficium absolutionis disponderetur. Verum, si futurum errorem prævidisset tunc, numquid, illo occurrente casu, adhuc absolutionem MARCO denegasset? Nequaquam. Non potuisset enim ita statuere, quia noluisset afferre maximum incommodum pœnitenti, qui non absolutus discessisset, nec damnum illud reparare potuisset, cum illud ignoraret. Ergo intentio absolvendi in Confessario videtur omnino præponderans in casu nostro. Ergo MARCUS fuit valide absolutus. Ergo MEDERICUS, Confessarius, omnem sollicitudinem de errore debuisset deponere; et proinde absolutionem repetendo male fecit. In vero dubio, saltem conditio ab ipso apponenda fuisset. *S. Lig. de Sac. in gen. n. 28.*

163. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Neg.* Confessarius in hoc secundo casu evidenter caruit intentione absolvendi, siquidem suam mentem ipsi pœnitenti jam modo aperuerat. Ergo verba absolutionis, ab illo tunc contra suam intentionem prolata, nullam habuerunt efficaciam. Ergo invalida prorsus fuit absolutio.

### CASUS X.

#### DIGNITAS MINISTRI.

ALBERTUS, Sacerdos, hamanam fragilitatem expertus, lethali noxa sese inquinaverat. Cacodæmone victus, integro mense in hoc lugendo statu perseveravit, omnia munia sacerdotalia obeundo, scilicet, concionando, Sacrum peragendo, confessiones, sive impertita sive negata absolutione, excipiendo, Communionem fidelibus distribuendo, Baptismum et Extremam Unionem, data occasione, ministrando, et pluries sponsis benedicendo. Die quodam festo, pro populo celebraturus, tanto horrore sacrilegii committendi captus fuit, ut, deficiente Confessarii copia, verba utriusque consecrationis prætermiserit, ad profanationem SS. Eucharistiæ devitandam. Tandem confessionem dolentissime instituit, sed nescit quomodo de his omnibus sese accusare debeat.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> Quomodo in singulis peccaverit ALBERTUS? et quomodo confiteri, vel a Confessario interrogari debeat?

2<sup>o</sup> Quid speciatim judicandum de omissione consecrationis, prout in casu refertur?

3<sup>o</sup> An teneatur semper confiteri Sacerdos, reus peccati mortalis ante Sacramenti cujuslibet administrationem; et quid, si necessitas urgeat?

SOLUTIO :

164. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> ALBERTUS mortaliter peccavit quoties Sacramentum in hoc lugendo statu confecit; quia confectio sacrilega singulorum Sacramentorum constituit actum peccaminosum, in se distinctum et determinatum. Hinc toties graviter peccavit, quoties indigne baptizavit, et infirmos sacro Oleo inunxit; item quoties absolutionem impertivit, quia tot

judicia diversa et completa peregit. Attamen excusandus est a peccato mortali *probabilius* quando confessiones audivit quin absolveret, quia Sacramentum non confecit. Excipe, nisi fuerit animo paratus ad absolvendos omnes sibi occurrentes.

2° Peccavit mortaliter, juxta communem sententiam, Eucharistiam in mortali extra Missam ministrando, propter injuriam gravem Sanctissimo Sacramento irrogatam. *S. Lig. n. 35. — Billuart. — Antoine, etc. Probabilius* tamen unicum tantum peccatum mortale commisit, quoties Eucharistiam fidelibus distribuit, etsi plures simul ad Sacramentum accesserint, quia distributio fit per modum convivii, ideoque unica censetur fieri administratio. *S. Lig. ibid. — Billuart, etc.* Plures tamen graves Theologi contendunt, non peccare graviter ministrantem Eucharistiam in mortali, quia non conficit Sacramentum, et proinde remote tantum ad productionem gratiæ cooperatur, sed tantum applicat Sacramentum actu existens. Ita *Lugo, de Sacram. D. 8, n. 155. — Elbel, n. 50. Sporer. — Sylvius. Lacroix.* Hæc autem sententia saltem, extrinsece, sat *probabilis* videtur.

3° Quoties Missam sacrilege celebravit, *probabilius* triplex peccatum mortale commisit, scilicet: indigne consecrando, indigne communicando, et indigne sibi indigno Sacramentum ministrando. Imo, aiunt, quartum patrat peccatum grave, si Eucharistiam aliis in Missa ministrat. *S. Lig. n. 35.* Cæterum in praxi parvi refert scire quot peccata faciat Sacerdos sacrilege celebrans, cum satis sit si in confessione dicat se in mortali celebrasse.

4° *Probabilius* graviter non peccavit concionando, vel alias functiones sacras ministerii obeundo, in quibus non intervenit neque confectio, neque administratio Sacramenti, neque tactus Eucharistiæ, sive mediatus, sive immediatus. Hinc patet quomodo ALBERTUS confiteri, vel etiam interrogari debeat. *Vid. Comp. n. 209 et seq.*

165. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* In maximum errorem impegit ille miserrimus Sacerdos, dum putavit se a sacrilegio immunem evadere, consecrationem omitendo. Sacrilegium enim multo majus commisit, reliquam seriem orationum et cæremoniarum sacrarum exhibendo, et sanctissimum Missæ Sacrificium simulando, quin reapse illud conficeret.

166. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* 1° Certo tenetur confiteri Sacerdos, reus peccati mortalis, ante Missæ celebrationem, si copiam Confessarii habeat. Constat ex *Conc. Trid. sess. 13, c. 7*, ubi præscribitur confessio omnibus fidelibus communicaturis, si in statu gratiæ non versentur.

2° *Per se* autem non tenetur confiteri ante administrationem aliorum Sacramentorum, si facile, per actum contritionis perfectæ, gratiam divinam recuperare valeat, quia confessio tunc nulla lege præscribitur.

3° Urgente necessitate celebrandi, et deficiente copia Confessarii, satis erit si Sacerdos, peccati mortalis reus, actum contritionis perfectæ serio eliciat, et confiteri quamprimum proponat. *S. Lig. n. 255 et seq. — V. Comp. n. 207 et seq.*

## CASUS XI.

## SACRAMENTA MINISTRANDA 1°.

RAMBERTUS, Parochus, mussitare solet fere quoties ad confessiones audiendas advocatur. Erga ægrotos præsertim invisendos, eosque Sacramentis muniendos, se morosum et difficilem exhibet. Quapropter non semel evenit ut, illo requisito et cunctante, plures absque Sacramentis decesserint. Grassante quondam morbo pestifero, RAMBERTUS, pelli suæ timens, sub prætextu alicujus urgentissimi negotii pertractandi, se in alium locum tutum, longe dissitum, recepit, substituto tamen prius idoneo Vicario, qui suo nomine animarum curam ageret, et infirmis assisteret. At primum ex illo loco dissito, per epistolam, Episcopum suum de suo discessu monuit, aliquam fictam causam exhibendo. Elapsis pluribus hebdomadis, ubi inaudiit extinctam esse luem, ad propria reversus est.

HINC :

QUÆR. 1° *Quænam sit obligatio Ministri quoad Sacramenta conferenda, seu quandonam gravis sit?*

2° *An, vel quandonam Sacramenta etiam cum vitæ periculo ministrare debeat?*

3° *Quomodo peccaverit RAMBERTUS in omnibus?*

SOLUTIO :

167. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* 1° Pastor animarum tenetur sub gravi, ex justitia, Sacramenta ministrare subditis suis rationabiliter petentibus, quia ad id ex *quasi contractu*, seu ex officio suscepto, adstringitur. 2° Alius, non Pastor, nunquam tenetur Sacramenta administrare, ex justitia, bene vero ex caritate in gravi proximi necessitate. *Vid. Comp. n. 213.*

168. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* 1° Minister Sacramenti, qui non est Pastor, tenetur etiam cum vitæ periculo administrare Sacramenta ad salutem necessaria, scilicet Baptismum, Pœnitentiamque, iis qui sunt in discrimine vitæ et præsumuntur versari in statu peccati mortalis, nec facile per actum contritionis sibi subvenire posse; et etiam Extremam Unctionem in casu quo quis nullo modo confiteri posset, v. g. si sensibus esset destitutus. Ratio ex generali principio caritatis deducitur.

2° Quid vero de Pastore? Valde *controvertitur*. Prima sententia *valde gravis*, ait *S. Lig.*, *affirmat* eum teneri etiam alia Sacramenta cum periculo mortis ministrare, ratione officii. Ita *Suarez*, — *Sylvius*, — *Vasquez*, etc. Secunda vero sententia, etiam *valde probabilis*, ait *S. Auctor*, *negat*, quia alia Sacramenta non sunt tantæ necessitatis, ut Parochus pro eis conferendis teneatur vitam prodere. *S. Lig. l. 6, n. 233*, refert Declarationem *Greg. XIII*, Decretum *S. C. Concilii* his verbis approbantis: *Parochum duo Sacramenta ad salutem necessaria, nempe Baptismum et Pœnitentiam, tunc teneri ministrare; posse autem mi-*

*nistrare vel per se, vel per alium idoneum, ut Parochus possit audire confessiones sanorum, quia alias eum reformidarent, si viderent eum accedere ad pestilentes.*

169. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> RAMBERTUS procul dubio graviter peccavit, cum se morosum ac difficilem exhibuit, non semel, vel iterum, aut raro, sed persæpe, quoad fidelium confessiones excipiendas, et præsertim ægrotos invisendos et Sacramentis reficiendos. Nec excusandus foret a peccato mortali, licet raro moram protraxerit, relative ad infirmos adeundos, si, ob illam moram culpabilem, ægroti absque Sacramentis decedere potuerint.

2<sup>o</sup> Graviter etiam peccavit RAMBERTUS, deserendo suas oviculas et fugiendo, instar mercenarii, et quidem sine licentia ab Episcopo petita vel obtenta. Ratio est, quia in re gravi egit contra suam obligationem, et forte non sine scandalo et gravissima parochianorum offensione. Parochus enim tempore pestis tenetur in parochia morari et subditis Sacramenta, saltem salutis necessaria, ministrare; constat ex Declaratione S. Cong. Conc. Trid. an 1576. Boni enim Pastoris est *animam suam pro ovibus suis ponere*, juxta effatum Christi Domini, I. Joan. 3. 16. Non satis fuit igitur ut RAMBERTUS sibi idoneum Vicarium substitueret, neque ut Episcopum post discessum admoneret, quia debuit non prius discedere quam licentiam obtinuerit; neque, in præfatis circumstantiis, facultatem abeundi postulare potuit, cum id prohibeat S. Congregatio. Insuper, neque obtenta facultate excusaretur, cum falsam causam allegaverit, ad rem ab Episcopo extorquendam.

## CASUS XII.

SACRAMENTA MINISTRANDA 2<sup>o</sup>.

CUNIBERTUS, Parochus, advocatur ad domunculam mulieris igne flagrantem, ut ipsi, ab omnibus derelictæ, saltem per absolutionem succurreret, et infantem, quem a paucis horis pepererat, baptizaret. Advolat quidem Pastor; sed animadvertit arduum et periculosissimum esse opus, et ob metum mortis recusat mulierem adire, quamvis tempus adesset prædictæ infelici matri, et miseræ proli necessaria Sacramenta conferendi.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An graviter peccaverit CUNIBERTUS matri et proli in tanta necessitate spirituali positus non succurrendo, non obstante propriæ vitæ periculo?*

2<sup>o</sup> *An excusationem mereretur, si ipse in statu peccati versaretur?*

SOLUTIO :

170. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Casus matris valde differt a casu prolis; mater enim absolvi poterat a longe absque vitæ absolventis periculo, saltem communiter loquendo. Insuper Parochus non tenebatur vitam prodere ad matrem absolvendam, si scivisset mulierem pie vivere, nec ordinarie versari in statu peccati mortalis, vel tunc facile actum contritionis elicere posse. S. Lig. l. 2, n. 27.

2<sup>o</sup> CUNIBERTUS, sub gravi, tenebatur vitam suam exponere ad infantem baptizandum, quia Parochus tenetur subvenire extremæ necessitati spirituali parochianorum, cum suo quocumque incommodo, aut damno temporali. Imo, deficiente Parocho, ad id obligatur quilibet alius, quia vita spiritualis; etiam aliena, utpote bonum majus et altioris ordinis, præferri debet salutis corporali cujuslibet viventis. Ergo, a fortiori, ad illud tenetur Parochus, de quo ait Christus: *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Joan. 10. 11. Ergo peccavit graviter CUNIBERTUS, quippe qui tantæ obligationi non satisfecit. Attamen a peccato excusandus videtur, si certus non fuisset se ad infantem pervenire posse; durissimum enim esset aliquem obligare ad vitam pro bono alterius incerto prodendam.

171. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Neg.* Quia facile unico momento, per actum contritionis perfectæ, se in statu gratiæ reponere potest. Præterea, nonne actum caritatis perfectæ peragit ille qui, pro amore Dei et proximi, vitam propriam profundit?

## CASUS XIII.

## SACERDOS MORTIS PERICULO OCCURRENS.

METRODORUS, apud infideles Missionarius, dum, fervente persecutione, incognitus christianos hinc et inde sparsos inviseret, ad eos in Fide confirmandos, incidit casu in turmam lictorum qui foras educebant quempiam, gravis sceleris reum, ut capite truncaretur. Tum, zelo incensus, penetravit per satellites ad malefactorem in paganis superstitionibus enutritum, eumque tanto spiritus ardore ad Religionem catholicam amplectendam hortatus est, ut ille annuerit, et publice veram Fidem professus, et aqua Baptismatis regeneratus, pie fortiterque occubuerit.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An METRODORUS, Missionarius, sub gravi obligatus fuerit, ad succurrendum animæ infidelis capite obtruncandi, etiam cum gravissimo mortis periculo?*

2<sup>o</sup> *An simplex christianus ad id esset obligatus?*

SOLUTIO :

172. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Affirm. per se.* Ratio patet ex dictis, seu ex principiis generalibus caritatis. Dixi *per se*: nam Missionarius ille ad id non fuisset obligatus, si probabilis tantum fuisset infidelis docilitas in admittendis ejus adhortationibus; quia, si esset tantum probabilis spes eum juvandi, probabiliter etiam speranda non esset ejus salus: atqui talis obligatio foret nimis difficilis in probabili salutis desperatione; ergo urgenda non esset. Gobat, de Sacramentis in genere, n. 183.

Neque obligatus esset, si non reperiretur in loco alius Sacerdos qui christianis opitulari posset, præsertim persecutionis tempore. Æquum enim non est ut Sacerdos uni animæ succurrat, multos alios in periculo salutis relinquens. Gobat, *ibid.*

173. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Affirm. per se;* quia fidelis quilibet infideli per

Baptismum succurrere potest, et proinde debet, ut ex dictis satis liquet. Raro tamen in hujusmodi casu urget stricta obligatio, quia non constat de fine certo assequendo; non sufficit enim aliqua spes, vel etiam mera probabilitas successus obtinendi, ut quis vitam ipsam prodere debeat.

## CASUS XIV.

## SACRAMENTA DENEGANDA.

JULIANUS, peccator publicus, matrimonium contracturus, jam publicatis bannis, adit Parochum confessiones excipientem, et declarat se nolle confiteri, sed confessionem simulare, ut sponsæ complacere. Negat Parochus se Matrimonio interventurum esse, nisi seriam confessionem peregerit, cum Sacramentum illud statum gratiæ requirat. Subinde, cum perrexisset Parochus ad Sacrum faciendum, dum Communionem fidelibus distribuit, ecce inter alios communicantes cernit adstantem JULIANUM ipsum. Quid faciet? Hæret anceps... Sed mox recordans præcepti domini: *Nolite dare sanctum canibus*, hominem prætermittit. Absoluto Sacro, JULIANUS ira percitus, adit Parochum, imprecationibus eum lacessit, eique mortem minatur, nisi sibi Eucharistiam ministret suoque matrimonio assistat. Perterrefactus Parochus existimat præceptum tunc non urgere, et JULIANO morem gerit.

HINC :

QUER. 1<sup>o</sup> *Quandonam Sacramenta deneganda sint?*

2<sup>o</sup> *An recte egerit Parochus abnuendo assistere matrimonio JULIANI, et postea metu mortis assistendo?*

3<sup>o</sup> *An recte egerit Eucharistiam eidem primum denegando, et deinde metu mortis eam ipsi concedendo?*

SOLUTIO :

174. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Sacramenta deneganda sunt peccatori publico, sive *occulte* sive *publice* ea petenti, quia sancta non sunt indignis tradenda, et scandalum fidelium præcavendum est.

2<sup>o</sup> Sacramenta sunt etiam deneganda peccatori *occulto*, *occulte* petenti, quia simpliciter indignus est, et insuper nulla urget ratio ad Ministrum excusandum. Secus vero, si *publice* petat, quia tunc Sacramenta denegari nequeunt absque scandalo fidelium et Ecclesiæ perturbatione. *S. Lig. n. 50.*

175 — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> *Per se* recte egit primum assistentiam suam matrimonio denegando. Ratio est, quia, licet confessio non requiratur lege generali Ecclesiæ ad matrimonium, cum Concilium Trid. adhortetur tantum ad confessionem matrimonio præmittendam, attamen generatim Parochus assistere nequit matrimonio eorum qui sunt publici peccatores. Ratio est: 1<sup>o</sup> quia de jure naturali nemo cooperari potest peccato alterius, etiam materialiter, nisi de causa gravi et proportionata; 2<sup>o</sup> quia publici peccatores indigni sunt ut ad Sacramenta admittantur. *S. Lig. n. 54. — V. Comp. tom. 2, n. 218-768-774.* Nec obstat quod Parochus non sit minister matrimonii; nam ejus præsentia necessaria est ad Sacramenti

validitatem. Adjicias quod Parochus ex officio incumbere debet salutem spirituali suarum ovium, eas a peccatis avertendo. Nec dicas quod sponsi jus habent ad matrimonium contrahendum, et proinde ad Parochi assistentiam; nam nemo jus habet ad actionem in qua peccatum committitur.

2<sup>o</sup> Parochus potuisset assistere matrimonio JULIANI, in favorem sponsæ, si hæc non fuisset indigna, quia tunc rationem sufficientem habuisset peccatum ejus permittendi. *S. Lig. ibid.*

3<sup>o</sup> Potuit assistere matrimonio metu mortis impulsus, quia Parochus non est minister Sacramenti, et præterea gravissima ratione a peccato cooperationis excusatur. Potest etiam Parochus excusari in simili casu, propter alia quæcumque incommoda valde gravia, sive propria, sive contrahentium, v. g. ne in peccato, aut in concubinato perseverent, etc. *S. Lig. n. 54.*

176. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Prima vice recte egit Parochus Communionem Juliano denegando, quia, ut ipse ait, sancta non sunt canibus, seu indignis tradenda. JULIANUS autem, peccator publicus, nulla præmissa poenitentia, neque scandali reparatione, est omnino indignus: ergo a Communionem erat repellendus, seu prætermittendus.

2<sup>o</sup> Male egit postea Parochus, metu mortis adactus, Eucharistiam JULIANO ministrando. Ratio est, quia damnum quantumlibet compensare nequit summam injuriam quæ in eo casu SS. Eucharistiæ advenit. *Ita S. Lig. n. 49, cum aliis.*

177. — Contradicunt tamen plures cum *Lacroix, l. 6, part. 1, n. 138, — Gobat, — Sporer, etc.*, dummodo Sacramentum non petatur in odium Religionis. Ratio eorum est, quia, ut aiunt, si infamia peccatoris occulti, publice Sacramentum petentis, talem administrationem excusat et irreverentiam Sacramenti reparat; cur mors a Ministro subeunda non excusaret? Sed neganda est paritas: etenim Sacerdos nequit publice Communionem negare peccatori occulto, non quidem ad famam ejus salvandam, sed propter alia gravissima incommoda quæ inde sequerentur, nempe scandala aliorum, qui, licet forte digni, a sacra Communionem deterrerentur, timentes ne, ob odium vel imprudentiam, a Sacerdote arcerentur. Hæc autem incommoda non habentur in Ministro, qui metu cogitur ad Communionem peccatori publico ministrandam. Imædificationi esset populo Minister qui, ad reverentiam Sacramento servandam, periculo mortis se exponeret.

## CASUS XV.

## SIMULATIO SACRAMENTI.

SYNESIUS, alumnorum in collegio degentium Confessarius, LEONARDI Confessionem excipiens, audit illum paulo ante contra castitatem cum ALBERTO graviter deliquisse. De facti veritate ex ipsius narrationis adjunctis procul dubio constabat. Vice sua, confitendi gratia, accedit ALBERTUS, qui rem altissimo premit silentio. Confessarius probe novit eum non potuisse apud alterum suas culpas manifestare, siquidem nullus alius est in collegio pro audiendis confessionibus; nec supponi potest poenitentem ex oblivione aut ignorantia tantum peccatum reticere. Quid faciet

SYNESIUS? Id consilii capessit, ne sigilli legem violet, nec sacrilegio pœnitentis cooperetur: ALBERTO, prudenter sed frustra interrogato, fingit absolutionem impertire dicendo, submissa voce: *Ergo te non absolvo.* Cum autem prævideret ALBERTUM ad Communionem cum aliis accessurum esse, particulam seorsim ab aliis collocatam in Sacro faciendo minime consecrare intendit, eamque ipsi porrigit.

HINC:

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *Quid sit simulare Sacramentum?*  
 2<sup>o</sup> *An aliquando licitum sit?*  
 3<sup>o</sup> *Quid dicendum de ratione agendi SYNESII, tum ratione fictæ absolutionis, tum ratione Hostiæ non consecratæ ALBERTO porrectæ?*  
 4<sup>o</sup> *An SYNESIUS potuisset proferre verba solita: Corpus Domini, etc..., coram ALBERTO, quin Hostiam ei porrigeret?*

SOLUTIO:

178. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* Probabilius simulatio Sacramenti consistit in appositione fictæ formæ ad materiam, aut in ficta formæ prolatione, ita ut, cum rigore loquendo, tantum simuletur Sacramentum, quando fecte ponitur illud quod essentialiter pertinet ad rem quæ simulatur.

*R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* Nunquam licet simulare Sacramentum, ne *materialiter* quidem, seu etiam non intendendo *directe* simulationem, seu proximi deceptionem; quia omnis simulatio est injuria gravissima in Christum, cui Minister illudit, abutendo rebus sacris ab ipso institutis, et sic eum falso operantem inducendo. Constat etiam ex propositione 29<sup>a</sup> ab *Innocent. XI* damnata, quæ sic jacet: *Urgens metus gravis est causa Sacramenti administrationem simulandi.* Plures quidem Theologi putant, solam formalem simulationem in hac propositione damnari; sed merito alii communiter contradicunt. Etenim non licet simulare Sacramentum ex metu gravi, ut constat ex damnatione præfata propositionis. Atqui simulatio ex metu mortis est simulatio *materialis*, non vero *formalis*: ergo... Juxta alios non damnatur quælibet simulatio *materialis*, v. g. si fiat ex metu mortis, cum in prædicta propositione dicatur tantum *ex metu* gravi. Sed respondet *S. Lig. n. 59*: *Quamvis præfata propositio non loquatur de quocumque metu, attamen commune etiam est apud Doctores, non licere administrationem Sacramenti simulare etiam ob metum mortis.* — *V. Comp. n. 220.*

179. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* 1<sup>o</sup> *Quoad absolutionem* controvertitur inprimis, utrum Confessarius possit vel debeat in simili casu absolutionem denegare, aut vice versa.

*Prima sententia* dicit absolutionem esse omittendam; quia pœnitens, utpote male dispositus, ea prorsus indignus est, et proinde Confessarius, eum absolvendo, ejus sacrilegio cooperatur. Hanc sententiam suadet *S. Lig. n. 631*, ubi dicit melius esse si Confessarius omittat absolutionem, pœnitente non monito, et, loco absolutionis, aliquas orationes recitet.

*Secunda sententia* docet pœnitentem absolvendum esse quando peccati

ejus notitia ex sola complice confessione habetur. Ratio est, quia tota illa notitia resolvitur in testimonium alterius pœnitentis; porro in hoc tribunali magis accusantis se in sua causa, quam aliis credendum est. *Ita Lugo, de Pœnit. D. 22, n. 21, cum Gobat, Diana, et aliis. V. Comp. n. 222 et 619.*

2<sup>o</sup> *Quoad Communionem*, graviter et gravissime peccavit SYNESIUS, Hostiam non consecratam ALBERTO porrigendo, quia Hostiam hanc ipsi communicanti et cæteris assistentibus adorandam obtulit, et eo ipso ad actum idololatriæ eos induxit. Sic neque Sacerdos, versans in statu peccati mortalis, consecrationem simulare potest, ad vitandam indignam Missæ celebrationem. Remedium igitur malo pejus est, ut dicit *Innoc. III, c. 7, de Homine, de Celebratione Missæ.* — *S. Lig. n. 61.* — *Pontas. v. Communion, cas. 15.*

*R. ad 4<sup>m</sup> Quærs. Nego*, quia usus fuisset notitia confessionis ad Sacramentum ei negandum, quod gravamen maximum sigilli induxisset. Dicit autem *S. Lig. n. 61, quod possit*, quis indispositus ad Communionem aliquando, ob infamiam vel scandalum vitandum, cum Parocho convenire ut hic dicat super ipsum verba: *Corpus Domini*, etc., quin sacram Hostiam ei præbeat; quia tunc revera non ministrat Sacramentum, nec irreverenter Eucharistia tractatur.

## CASUS XVI.

### SUBJECTUM SACRAMENTORUM 1<sup>o</sup>.

PHILEMON, Parochus, solet dare sacrum Viaticum, Extremam unctionem et absolutionem infirmis delirantibus, fatuis et amentibus, imo et ebriis agonizantibus. Sed ejus agendi ratio carpitur a MARCELLINO, alio Parocho, qui contendit Sacramenta in his casibus conferenda non esse propter periculum irreverentiæ erga res sacras aut etiam invaliditatis Sacramenti. Quinam, quæso, causa tribuenda sit?

HINC:

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *Quid requiratur ad validitatem receptionis Sacramentorum?*  
 2<sup>o</sup> *Quid ad receptionem licitam?*  
 3<sup>o</sup> *An PHILEMON recte processerit in omnibus?*

SOLUTIO:

180. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* 1<sup>o</sup> In adultis requiritur *ad validitatem* intentio aliqua Sacramentum suscipiendi, quia non decet ut adultus tantum recipiat beneficium, nisi velit. Sed pro plerisque Sacramentis sufficit intentio habitualis, seu implicita, spectata cujusque Sacramenti natura. Excepto autem Pœnitentiæ Sacramento, non requiritur ad validitatem, etiam in adulto, neque probitas, neque proprie Fides. Patet ex praxi Ecclesiæ, quæ nunquam permisit ut iteraretur Baptismus, neque Ordo hæreticorum, vel improborum hominum, quoties de Sacramento rite